

ΘΕΩΣ ΚΥΒΕΡΝΑΟΥΤ!

35

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,
DE
XΛΩΠΩΣΕΙ,
seu
FOEDIS VIRGINUM COLORIBUS.

Hanc
consensu & suffragio illustris & gratosissimi collegii
Medici in florentissimo ad Salam Lyceo,

SUB PRÆSIDIO

VIRI NOBILISSIMI ATQUE EXCELLENTISSIMI

DN. GUERNERI ROLFINCII,

Phil. & Med. Doctoris celeberrimi, Therapeuticæ ac Chi-
mia Profess. Publ. famigeratissimi, meritissimi,

Dn. Praeceptoris, Patroni atque Promotoris sui
parentis instar ævternum colendi,

PRO

GRADU DOCTORALI,

&

summis in arte medicâ honoribus ac privilegiis
legitimè obtainendis,


Solenni Philiatrorum examini submittit

JOHANNES NICOLAUS Ewaldt/
GOTHANUS,

ad d. Augusti,

IN AUDITORIO MAJORI
horis ante- & post meridiem consuetis.

JENÆ,
ÆRE KREBSIANO
M DC LXV.



J. J.

DISSERTATIONIS
DE
CHLOROSI,
SEU
FOEDIS VIRGINUM COLORIBUS

CAPUT I

continet præloquium.

VENERIS, deliciarum voluptatumque omnium, & blanditarum Deæ simulacrum, quantum tam formæ gratiâ, quam eleganti totius corporis sine ullâ labe aut maculâ rutilantis habitu pagani nobis commendatum reddiderint, innumera Poëtarum figmenta, quorum *Natalis Comes mytholog. lib. IV. cap. 13.* aliqua recenset, testantur. Quin imò de Apellinâ Venere universa jactitat Græcia, ejusque incomprehensibilem pulcritudinem pingendo, tota penè artificum cohors hunc usque in diem invicem certare non destitit: nec sanè immeritò, corporis squidem elegantia, & roseus generum labiorumque color, fœminarum imprimis familiam, cœteræ nobiliores animi virtutes si simul conspirent, multis modis condecorat. Sed quam fragile hoc sequioris sexus ornamentum æquè, ac fortassis etiam pluribus modis, quam in viris, vicissitudini ac extremæ corruptelæ subiectum sit, mille morbi ac ægritudines, quibus fœminæ, organorum generationi ancillantium ratione, præ viris divexantur, satis luculenter comprobant,

bant, adeò ut verè Hippocrates l. de virginum morbis scripserit: multis & incomprehensibilibus terè afflictionibus premi miserimas.

Quò autem hāc paginā supersedeam illos recensere morbos, qui mulieribus viris junctis uteroque gerentibus obvii sunt, opera aliquod pretium me facturum esse arbitror, si unum, illibatas solum, castæque Deæ adhuc litantes virgines qui affigit, earumque amabilem formam, turpe dictu, haud raro cum maximō famæ ac honoris periculō defœdat, levi penicillō descrbam.

CHLOROSIS affectus ille est, cuius fœditatem crudelissimis satellitibus stipatam cùm ipse met aliquando in virgine, stemmatis claritate, optimarumque sexūi huic quæ decori sunt, virtutum integritate nulli secundâ Servestæ viderim, atque quibus auxiliis prospera ejusdem valetudo felicissimè reparata surrit, observaverim, placuit, suffragante gratiosissimi Machaonii ordinis autoritate, morbi hujus essentiam atque naturam, quoad *λαγωνική γέγονη*, quantum natura mihi largita virium, altius rimari, & quâ fieri potest, succinctâ brevitate loco speciminis inaugumlis describere.

Summus rerum omnium Gubernator Deus Optimus Maximus, cui, amissis sub primâ etate parentibus, pauper atq; egenus omnia mea studia unicè commendavi, quique, quæ ineffabilis erga me derelictum misericordia, ad optatum bunc portum perducere ea clementer concessit, honestis hisce ausibus nostris, mortalibus sacris, porro adsit, Et ut omnia, quæ aguntur, feliciter agantur, ex alto benedicat!

CAPUT II

genealogiam affectus nominalem proponit.

NOminum, quæ τῶν ὄντων νοηταὶ, rerum notiones, & quasi cubilia, primò ratio habenda: nominum enim usu cognito, rerum quarum notitiam inspicere amamus notitia sequitur. Recte Galen. lib. i. meth. med. cap. 5. Επί πάντων γνητουσίων εἰς λόγον χειροταλαυδάρεσθαι τὸν θεόν.

ΕΤΤΜΟΛΟΓΙΑ primum occupabit locum.

Cùm

Cùm morborum aliis, dictante iterum Galeno z. meth. med. c. 2. appelleatur à parte affectâ, aliis à symptomate, aliis à binis simul junctis, aliis à causa, aliis à similitudine alicuius rei externæ: præsens hic, utut alias, docente Joh. Langio lib. 1. epist. 21. genuino destituatur nomine, à symptomate mutantarum qualitatum deductâ appellatione vocatur Græcis χλωρωσις, aut χλωροσμα, à vocabulo χλωρης, per crasim quasi χλοερης vel χλοηρης, item χλόη, quæ omnia viriditatem seu pallorem notant, quia malo hoc afflictæ colore cum virore pallidum habent; undè à Latinis fœdus virginum color, cuius contrarium est, τὸ λαυρέρην χλωροσμα, vividus ac floridus color, uti notat Guilielmus Ballonius Medicus Parisiensis lib. de virg. & mulier. morb. cap. 7. indigitatur.

Synonymia apud Latinos varia est. Dicitur febris alba, seu virginea, non quòd febris semper sit conjuncta, sed quia affectæ speciem febrentium, nimirum cum colore pallidô virum debilitatem, pullus celeritatem & frequentiam, quæ quidem non ob caloris augmentum, cum potius adsit intemperies viscerum frigida, sed ob ventilationis defectum & flammatæ vitalis suffocationem oriuntur, præ se ferunt. Vid. Sennertus lib. IV. med. pract. part. II. sect. III. cap. 2. de morb. virg. & Rodericus Castrensis lib. II. cap. 5. Alii nominant morbum virginum, quòd ut plurimum virgines nubiles, eæquè pulciores hōc, ceu maximè familiari affiantur. Amatoria autem dicitur febris, vel quod amantibus, aut amabilibus pulcrioribusque virginibus sit proprius, aut quia color hic sit amantibus aptissimus, secundum illud Nasonis: *palleat omnis amans, color hic est aptus amanti.* Nonnunquam absolute vocatur pallor virginum, item cachexia virginum, à cacochymico corpore, quòd afflictæ semper pollent. Quid causæ sit, quod quibusdam Icteritia, seu Icterus albus audiat, pluribus nervosè explicat super laudatus Guilielmus Ballonius d. l. quòd etiam benevolum lectorem brevitas studiō remittimus. Germani nostri variis lundunt nominibus, vocant enim, Die bleiche Sucht / die Missfarbe / die Farbe-Sucht / velex latino, febris alba versâ voce, Das weisse Jungfer Fieber; à Gallis les palles couleurs.

Tandem cùm erroris genetrix sit æquivocatio; nè & in hanc erroris scyllam quis incidat, HOMONYMIAM quoque paucis annexemus. Fatendum quidem exiguum vel nullum h̄c, observatis, quæ jam circa enodationem nominis diximus, occurrere ambiguatem, interim tamen cum χλωρώσεως vox generaliter accepta, quemlibet vitiosum ac pallidum notet corporis habitum, utrique sexui communem, qui non semper, ut in virginibus plerumque fit, à vitiosorum humorum per menstruum fluxum excernendorum retentione & obstruktione oriatur, verùm in genere omnem depravatam nutritionem à vito ac impuro sanguine introductam respiciat, quâ ratione æquè viris ac mulieribus competit; nos h̄c vocabulum illud specialiter, expressis nimirum latinè verbis, (fœdus, seu pallidus virginum color,) intellectum volumus, quibus annexis pallescit ac expirat omnis ambiguitas.

CAPUT III *nominis definitionem, ejusq; rationem formalem subjungit.*

Consideratâ hactenus brevibus ὀνοματολογίᾳ, ad περιγραφὰ ut accessum faciamus, opus est. Hic, quâ ratione in proferendâ verâ ac perfectâ definitione, quæ quiditatem ac essentiam χλωρώσεως ex sententiâ exhauriat, in salebris vadamus locis, nemo non videt: causarum enim & affectuum omnium h̄c confluentium multitudo, multas parit difficultates, & autores hâc de re aliquid consignantes, quotquot ad nostras hactenus pervenire manus, admodum diversi sunt, undē ab aliis, qui affectum hunc ut morbum stridē sic dictum considerant, per intemperiem corporis frigidam definitur: alii contrà causalem daturi definitionem, per obstruktionem circa uterus vasorum describunt, alii ad symptomata depravatae nutritionis, tanquam speciem cachexiæ, affectum referunt, nonnulli tandem eum, quatenus sensibus fit manifestus, ad symptomata mutatarum qualitatum commode referri posse, autumant.

Hos

Hos imitati, consentientibus & docentibus, Dn. Doctore Præside, & Excellentissimo Dn. Godofredo Mæbio, in hâc Salanâ quondam Professore de medicinâ profuse merito, Præceptore itidem nostro gratâ & memori mente æviternum colendo, eam hunc in modum describimus:

Chlorosis est caloris nativi, ac floridi in toto corpore, præcipue autem in facie, in pallidum, lividum ac virescentem mutatio, cum virium languore, difficii respiratione, aliisque gravibus symptomatibus conjuncta, ab imminutâ & depravata nutritione vasorumque circa uterum obstructione imprimis ortum ducens.

Datam hanc nostram definitionem, quam, cùm non omnium accidentium hinc & inde affectum comitantium syndrome annexi potuerit, descriptionem potius appellare animus est, multis offensam præbituram esse, è longinquo quasi videmus; quapropter, ut ab injuriis ac prolixioribus contradicentium morsibus nos præservemus, illam ipsam, prout moris est, in sua principia resolvemus, quæque monenda, aut excipienda paucis sumus addituri.

Primas hic teret definitum, quod est ΧΛΩΡΩΣΙΣ, seu febris alba; ubi confestim illis, qui non planè hospites ac peregrini medicorum in institutis sunt, non potest non liquere, ad symptomatum classem affectum hunc pertinere, & potissimum ad qualitates mutatas: & licet ἐυχερία illa corporis ita mutetur, ut sensibilis indè subsequatur actionum læsio, tantum tamen abest, ut propterea vel ad morbum intemperiei frigidæ, ut nonnullis placet, vel ad morbum malæ conformatioonis in meatus obstructione, cùm hæc potius ut causæ sese habeant, virginum defœdationem referamus. Potiori itaque jure secuti hîc sumus fidelissimi quondam nostri Præceptoris antea laudati, Dn. Doct. Mæbii p. m. sententiam, quando lib. 2. cap. i. epitom. Instit. sic inquit: si à sanguine vitioso mala fit nutritio in peripheriâ corporis, ut in scabie, lepra, & similibus, vel si color à sanguinis vitio in toto mutatur, semper iis partibus, in quibus affectus appetat, morbus assignatur.

FORMALEM rationem, quæ nimis est coloris vividi,
ac floridi in pallidum mutatio, scitè expressit purpuratus ex Coo
Senex, dum libr. $\omega\delta\iota$ χυμῶν dicit: $\tau\chi\zeta\omega\mu\alpha\tau\omega\chi\mu\omega\nu$, $\delta\pi\gamma\mu\eta\alpha\mu-$
 $\pi\omega\tau\iota\varsigma\delta\pi\tau\omega\chi\mu\omega\nu$, $\omega\omega\epsilon\gamma\alpha\gamma\delta\omega\nu$: Humorum color, nisi ii ad
profunda corporis se receperint, velut in cure efflorescens conspici-
tur. Et Guilielmus Ballonius initio cap. de fœdis virginum colori-
bus nervosè admodum scribit: Cùm corporis color vividus ni-
tet ac floret, græcis $\chi\lambda\omega\varrho\sigma\mu\alpha\lambda\alpha\mu\pi\varrho\gamma\eta$ dicitur, alimentum à
suā non descivisse naturā argumentum est: si coloris in dete-
rius mutatio deturatioque cutis contigerit, succos alioqui
alendo idoneos labem concepisse declarat.

CAPUT IV

$\chi\lambda\omega\varrho\tau\omega\nu$ subjectum exponit.

Circa hoc cum jam versemur, atque illud, uti vel tyroni-
bus artis medicæ notum erit, dupliciter spectari debeat,
quatenus scilicet aut est inadæquatum & principale, aut adæ-
quatum & minus principale, primum de principali etimus sol-
liciti; ubi haut opus esse arbitramur, ut ad investigandum id
sensem tactūs consulamus, quo nonnulli medicastrorum con-
tactu hypochondriorum, etiam minimos viscerum tumores,
vitia & obstructiones se consecrati posse gloriantes, non sine
fraude abutuntur: Iudicra enim hæc sunt, & inania, ad demul-
cendum potius animum corporis fœminei mollis ac delicatu-
li contrectatione inventa, quam ut utilitatem aliquam afferre
possint; undè etiam talismodi contrectatores à Galeno repro-
bantur, quando lib. 5. cap. 7. de loc. aff. scribit: aut summe exte-
nuatos esse abdominis mūsculos, aut ingentem admodum in-
flammationem tumoremque adeste debere, antequam tactu de-
prehendatur, ac manum appulsi; Effectus sanè & symptomati-
cum vehementia, quæ diris modis virgunculas affigit, in ve-
ram partem affectam cognoscendi viam nos dicit.

Uterus, cui hīc περίτης debetur curatio, jure merito sedi-
tionum harum omnium autor accusandus. Id Hippocrates, medi-
corum omnium princeps libr. $\omega\delta\iota$ παραγγελίων luculenter ac nervosè
expres-

expressit, cuius verba, cum omnibus ferè dissertationis nostræ pagellis lucem afferant, huc transcribere haut piget; Alī παρ-
γένοι, οκόσησιν ὥρην γάμος φεγγυδεῖ μήνα, τότο μάλον πάχοσιν
άμα τῇ ναθόδῳ τῶν Ἀπομηνίων, φέρετρον δὲ μῆλα ταῦτα πα-
γέσσα. Οὐτερον γδὲ τὸ αἷμα ξυλάβει) εἰς τὰς μῆτρας, ὡς δύσορ-
στα μήνων. οκόταν δὲ τὸ σόμα τῆς ἐξόδου μὴ εἴη ἀνεσομώμον τὸ
αἷμα τολέον Ἀπρόρε, Μάρτιον τε σπία ηγή τινες αὐξησον τὸ σώματον,
τωικαῦτα σὸν ἔχον τὸ αἷμα ἐκρευν, αναίσας τοῦ πλήθεος εἰς τινες
καρδίας, ηγήεις τινες Μάρφεζιν. οκόταν δὲ ταῦτα πληρωθέασιν,
ἔμωρεῖη ή καρδίη. εἰσαὶ ἐκ τῆς μωρώσιον νάρκη. εἰτ' ἐκ τῆς νάρ-
κης, φεγγάναια ἔλαβεν. ὅπερ δὲ οκόταν κατημένος τολμῶν χέρν),
τὸ ἐκ τῶν ἐχίων καὶ μηρῶν αἷμα, δύσοπεχθὲν εἰς τὰς κυνῆμας ηγή
τὰς πόδας, νάρκην φεγγάνη. Τοῦτο τῆς καρδίης, ακρατεῖσοι πόδες
εἰς ὄδοιπορεῖσιν γίνοντο) εἴτ' αὖτις αναχωρήσον τὸ αἷμα εἰς ἐωυτό. ανα-
χωρέει τὸ τάχιστα, οκόταν δῆτα οὐδαπέπειρα. τεγμέπω τὸ αὖτα τῶν
σΦυρῶν. αὔτη μήρα δὲ ή νάρκη, ένηνοι. ταχὺ γδὲ παλιρρόδ, Μάρ-
τιν ιδύτη τῶν Φλεβῶν. ηγήο τόπον τὸ σώματον, σὸν Ἀπίκαιον.
Ἐκ τοῦτο καρδίας ηγή τῶν Φρενῶν βρεφέως παλιρρόδ. Ἀπίκαιον γδὲ
αὖτις Φλεβεῖς, ηγήο τόπον Ἀπίκαιον εἶτε φεγγούνην ηγή μανίν
ἔγιμον. οκόταν τὸ πληρωθέασι ταῦτα τὰ μέρεα, ηγή Φρέκη ξὺν
πυρετῷ αναίσας τολμάτας τὰς πυρετὰς καλέσσοντας: *Virgines, quibus*
propè nuptiarū tempus instat ut viro conjungantur, istud sub mensi-
um descensum magis experiuntur, cum antea his malis non admodum
conflictarentur. Postea enim sanguis in utero continetur, veluti qui
effluere debeat. Cum igitur exitus via minimè pateat, copiosior au-
tem sanguis per cibos & corporis incrementum affluat, tunc sanguis
effluvio carens, propter copiam cor & septum transversum resilit. ubi
igitur hæc opplata fuerint, cor obstupescit, indequé torpor, & ex torpo-
re dementia invadit. Non secus, ac si quis diutius sedeat, ex coxis ac fe-
moribus in tibias & pedes depresso sanguis, torporē adfert, ex quo pe-
*des ad ingrediendum impotentes redduntur, donec sanguis ad se ser-
verterit, qui celerrimè recurrit, si steterit in aquâ frigidâ, quæ malle-
olos superet. Hic igitur torpor facile repellitur. Cito enim propter ve-*
narum rectitudinem recurrit, locusq; hic corporis inter præcipuos non
habetur. At ex corde & septo transverso tardè recurrit, cum vene o-
bliquæ sint, & locus præcipuus, & ad delirium ac insaniam opportu-

nus. Cum autem hæ partes oppletæ fuerint, etiam horror cum febre irruit, febres inerrantes appellant.

Atquæ ex his simul liquet, reliqua etiam primæ & secundæ concoctioni destinata viscera, ut imprimis sunt cor, epar, lien ac ventriculus, quatenus vel per πεπτικάς in dicto affectu laborent, dum nimirum officio suo non ritè funguntur, & loco succi boni atquæ alibilis impurum multisqué tartareis ac heterogeneis partibus scatentes humores generant, qui postmodum in ambitum cutis effusi, lividum, gilvum alteriusve qualitatis colores, prout nimirum humores, à quibus descendunt, uti suprà demonstratum est, se habent, efficiunt: vel quatenus per δοκτηρίας illa afficiuntur, h. e. quando vasa uterina p. n. obstructa vitiosos humores non excernunt, verum illud vitium ad totum corpus transmittendo totam massam sanguineam deturbant, corporis calorem suffocant ac opprimunt, undè haut raro humores putredinem acquirunt, febresqué oriuntur, jure merito originali hujus mali subjecto esse annumeranda.

A DÆQUATUM ET MINUS PRINCIPALE

Subjectum, totius corporis habitum esse adstruimus: cum primis autem iis in partibus, quæ aut prætenui cutis conopœo vestitæ, cujusmodi sunt facies & oris labia, aut quæ insigni quādam albedine sunt præditæ, quarumquæ delicatulæ formarum cultores imprimis curam habent, ut in collo, manibus ac abdomine sœdus ac detestabilis observatur color: ubi etiam de interioribus musculosis, aut peculiari parenchymate præditis partibus, num etiam illæ morbi hujus labem sentiant? hic quæsiti, brevibus respondemus affirmando, cùm parium pars sit habenda ratio.

Hic cùm de subjecto virginum χλωρότως sermo sit, tribus tantum verbis hanc quæstionem inserere allubuit; utrum nimirum etiam viri juvenes casti, pudici ac venerem nondum experti propter diu retentum semen huic inalo, colorum scil. defœdationi sint subjecti? sapissimè enim videmus illos ipsos quoquæ pallidō, gilvō ac mustelinō, qualem plerique Judæi habent, ceu notat ὡμαναεῖται αὐτὸς D. D. Mæbius. Inst. libr. III. part.

I. Sec.

I. SECT. II. CAP. colore incedere. Hujus quæstionis autor est
Zacutus Lusitanus lib. II. medicor. princip. bistor. cap. 47. ubi etiam
suam exprimit sententiam. Quandoquè, inquit, in viris ob re-
tentum semen conspicitur aliquid hystericis simile, patiuntur
enim anxietudines, vomitus, mœstiam, depravatas coctiones,
totius corporis algorem, quæ omnia sponte cessant, si ad pri-
stinam sanitatem perducantur. Nos ut nostram declaremus
mentem, asslerimus, fœdos illos in viris colores neutquam à
retento semine, nisi illud p. n. sit corruptum & virulentia quâ-
dam, uti in Iue gallicâ accidit, affectum, oriri posse, quod ta-
metsi ad tringinta, imò nonnunquam plures annos sine excre-
tione retineatur, tantum tamen abest, ut corpus bene alias con-
stitutum ac coloratum vitiare, pravôqué aliquo colore tingi-
re queat, quin potius, uti omnibus, qui primis saltim labris
medicinam degustarunt, cognitum, tanquam peculiari ac ani-
mosiori pollens spiritu, magis magisque illud perficiat: colores
interea illorum deteriores ac pallidos aliis diutinis morbis,
qui imprimis literatis, maximè ubi studium & vigiliæ acce-
dunt, familiares sunt, ceu affectio hypochondriaca, scorbu-
cus & scabies est, item quibus hæmorrhoidum excretio vel p. n.
obstruitur, aut inordinate fluit, adscribimus: quod nonnulli
regerunt, amatores præ reliquis hisce affici coloribus, ad id
respondemus, hoc non à seminis retentione, sed animi ex in-
fano illo amore proficiente perturbatione, ortum ducere,
cùm amor animum extrahat, corpus consumat & ad extremam
ducat maciem.

CAPUT V.

causam immediatam, seu proximam, & medias
proximiores considerat:

Eμοὶ δοκέσθε μὴ διὰ τὸ δὲ μία εἰς τὸ σώμα Θεοῦ, αλλὰ
πάντα ὄμοιως δέχηται πάντα τελούτι. κύκλον γὰρ γένεσιν
τὸ δέχηται χρέους θητού. οὐδὲ τῶν νοσημάτων θητού πάντες ὄμοιως
τὸ σώμα Θεοῦ. Nullum, meā quidem opinione, corporis est prin-
cipium, sed omnes partes ex aequo & principium & finis esse videntur:

Descripto namquè circulo, principium non invenitur, eademque ratio membrorum in toto corpore, verba sunt communis nostri præceptoris Magni Hippocratis, lib. τοπων των ναζιανθεων, quæ de involutis morborum causis; de quibus sæpissimè dubitant medici practici, an his, an illis partibus sint tribuendæ, ante laudatus Medicus Parisiensis Guilielmus Ballonius cit. libr. intelligenda proponit. Certum quidem est, nostrum, quem hic describendum suscepimus, affectum unà cum gravissimorum, eorumquè variorum symptomatum syndrome superficietens saltim consideranti, quænam vera ac efficiens horum omnium causa sit, haud facile apparebit; ex communi tamen rerum perspicientia, consideratâ insimul ætate, quâ plerumq; virgines deturpantur, aliisque adhibitis circumstantiis in veram causarum cognitionem trahimur.

C A U S A principalis seu efficiens, IMMEDIA T A quoque à medicis dicta, in definitione ponitur imminuta ac depravata corporis nutritio, quippe cùm ad humorum colorem, carnis etiam color mutetur, sicuti cum Hippocr. in loco suprà allegato pluribus testatur *Excellentissimus Joh. Theodorus Schenckius Med. Doct. & in almâ hac Salanâ Profess. publ. famigeratissimus, Præceptor atque Patronus meus plusquam Parentum honore afficiendus, in histor. general. de hum. corp. humor. cap. VI. carnosæ verò partes, ut & reliquæ omnes à sanguinis massâ, quæ ratione distinctarum partium conservandarum, cùm aliæ sint siccæ, humidæ, frigidæ, vel calidæ, distinctis etiam ac heterogeneis constat partibus, nutrimentum hauriunt, cui quæsò causarum alii virginum discolorationem vitiosumque habitum melius adscriberemus, quâm imminutæ ac nonnunquam depravatae corporis nutritioni. Imminuitur verò illa, quando ob αιματώσις vitium sanguis crudus ac impurus generatur, qui deinceps impeditâ illa triplici actione, προσθέσι, προσθέσι καὶ σύστασι, appositione, agglutinatione, ac assimilatione, quâ Galenus libr. I. de facult. nat. cap. 10. omnem nutritionis modum perfici docet, partibus non ritè adhæret, unde haut raro cum fœdâ coloratione virginum corpora sensim sensimquè exsiccantur atq; contabescunt,*

Depravatae autem nutritionis in virgineo hoc malo ita-
dem auctor sanguis, quatenus ob coctionis defectum à debitâ
craſi, & motu æquabili variè pervertitur, evaditq; modò aquo-
sus & frigidus, modò acris & salsus, modò acidus & austerus,
aut alia ratione degener, ac interdum stagnationibus, quan-
doquè etiam immodicis effervescentiis fit obnoxius; quare
virginum corpora unà cum coloris vividi ac floridi in palli-
dum, lividum, plumbeum ac subviridem mutatione, mollia,
laxa & subtumida redduntur, cùm iterum monente Excellentissi-
mo Dn. Job. Theodoro Schenckio, ſect. I. part. IV. cap. 2. ſchol. part. A
ſuccit tam bonis, quam malis augeri corporis habitum, concedenti-
bus modò illud carnium cavernulis, per ſe ſatis clarum fit; palpebræ
etiam oculorum & facies inflantur, pedesquè intumescunt:
quid? quod ſcabiem, aut deteriorem aliquam cutis exulcera-
tionem nonnunquam coniunctam eſſe comperimus. De his
plura videantur, quæ apprimè docet Thomas Willis, in tracta-
tu de febribus cap. i.

CHIMICI, quos inter maximè eminent Hermetico-
rum antesignanus Paracelsus, magnus ille medicinæ Reparator,
penè dixerim Depravator, Joha[n]. Baptista van Helmont, & ejus
allecla Franciscus Oſwald Grembs, ad ARCHEUM ſuum, quem
omnium actionum autorem eſſe arbitrantur, h̄ic recurrunt:
hujus Archei enim imbecillitatem pro effeſtrice hujus labis
cauſâ habent: quamprimum, ſcriptitant, partes vitali ſuo bal-
famo, emphyto, calore & nectare illo cœleſti defraudantur,
tunc lerna hæc malorum, & centena mala oriuntur. Quæ chi-
micorūm hac in parte ſententia, modò quid per heroem illum,
Archéum intellectum velint, ritè explicetur, nobis non contra-
ria. Archeum autem comparant calido noſtro innato, animæ
ad omnes actiones expediendas proximo instrumento; hoc u-
bi deficit, aut debile redditur, actiones illæ impediuntur, &
mala ſequitur nutritio; undē parum refert, ſive ad facultates
læſas, ſive ad calidi innati caritatem & penuriam recurramus.
Hæc de cauſâ immediatâ proximâ, nunc ad mediatas propin-
quiores nos conferamus.

Bilioſi, pituitosi ac melancholici humores, prout hu-

lus vel istius partis vitio, aut obstrukione in corpore p. n. abundant, sanguinique admixti illum vel adurunt, vel p. n. tingunt, sicuti in superioribus omnis cruditatis impuritatisque unicè autores fuere proclamati, ita etiam iisdem inter medias proximiores affectus hujus causas primum decernimus locum, quia manifestè horum præternaturalem diabolus discolor ille virginum habitus, ratione hujus, vel istius copia peccantis vel pallidus, lividus aut niger nobis præbet.

Serum, pars alias sanguinis maximè utilis, quatenus nimicum illum à putredine præservat, ab incendio vindicat, partes humectat, humorique tam salivali, quam fermentatio materiam subministrat, quomodo vel intemperie frigidâ ac humidâ delinquendo, vel copiâ luxuriando, virginibus cachexiam introducat, consulenda est Excellentissimi Præceptoris nostri Joh. Theodori Schenckii historiā de sero sangu. cap. 6. p. 51. Virgo nobilis, cuius in præfatione hujus dissertationis mentionem fecimus, propter serosam ac phlegmaticam corporis constitutionem, tantam abdominalis pedumque intumescentiam contraxerat, ut tumor vestes ipsius, quibus vix ante semestre spatiū eleganter compactis induita incedebat, spithame longitudinem superaverit, adeò ut haut injuria primùm adspicienti hydropica visa fuerit.

Vasorum uteri præternaturalis obstrucio, utut alias ad tertiam causarum mediatarum classem, quæ præternaturales dicuntur, sit referenda, à nobis tamen, cum in nostro hoc affectu primarius quasi & inseparabilis sit ascleia, meritò hic accersitur. Τῆσι γυναιξὶ υἱέσῃ αἰγαῖηι μὴ εἰς καὶ θερον ηγῆ τόκον, ξυμφορὴν ἔνθων μορίων τὰ ηγῆ κακῶν: mulieribus uterus ad purgationem & partum bonus est, sed morborum infinitorum malorumque acervum congerit, recte inquit Aretaeus, l. 2. Χεργίων cap. ii. & Philofororum princeps Aristoteles 2. θεραπών θεραπειών cap. 4. de menstruo albo minus, & rubro magis perfectè cocto, hæc subjungit: μετεγέρτασαι μὴ δὲ οὐδὲ φοτέρων αὖτις αἵ δύο ηγέτεις τῷ θεραπομάτῳ τὰ σώματα σώζονται, αἵ τε γυνομένης καθαρέσεως τῶν θεραπομάτων, αἵ τε νοσεῖν αἴτια τοῖς σώμασι. μὴ γυνομένων ἔτι, οὐ ταλαιόνων γυνομένων βλάπτει. ποιεῖ γοῦν οὐδὲ σώματων καθαρέσεις.

Servat

Servat corpora integra excrementorum hic secessus, cùm modicè fit,
utpote cùm ab excrementis vindicentur, quæ causæ corporibus sunt,
ut ægrotent: Sed si vel non fit, vel immodicè fit, damnum evenit. Aut
enim morbi oriuntur, aut corpus emarcescit & extenuatur.

Adest autem interdum totalis menstrui fluxus abolitio,
& tunc affectus gravior, magis diuturnus ac curatu difficilior
redditur: interdum verò fluxus tantum est imminutus, qua-
propter etiam morbus paulisper remissior existit: utraquè ex-
empla recitat *Augustinus Thonnerus, Gymnasi Ulmensis quondam
Director clarissimus observ. med. lib. 3. observ. 20. & seq.* Causæ
verò obstructionis quænam sint, partim ex cap. seq. ubi de remo-
tioribus morbi causis, partim etiam ex aliorum Practicorum
libris, benevolus lector venabitur; hoc saltim in fine hujus an-
nexo, quod non sine jucunditate perlegi in tractatu acutissimi
Profess. Oxoniensis cap. 15. de febribus; nimirum fermentum il-
lud in utero virginum contentum, quō sanguinis massa imbuta
novam πολυάρτων atque vigorem concipit, ut lege naturæ
statis periodis turgescentiam & sanguinis superflui excretio-
nem percuret, à crudis, lentis ac viscosis sanguinis partibus
obrui atquè corrumpi.

CAPUT VI

causas mediatas remotiores, ex rerum naturalium,
nonnaturalium, ac præternaturalium
foste recenset.

Hactenius è numero causarum iis consideratis, quæ im-
mediata seu proxima, & mediatae propinquiores audi-
unt, nunc etiam ad alterum causarum genus, ex rerum
naturalium, nonnaturalium & præternaturalium penu-
quæ desumuntur, ut descendamus, methodi ratio postulat.

Inter NATURALES CAUSAS principem obtinet locum
TEMPERAMENTUM totius corporis frigidum & humidum,
phlegmaticum alias seu pituitosum dictum, quod pro generan-
dis crudis ac viscosis humoribus aptissimum est, quoquè fœ-
mineum genus laxas habens carnes, uti *Pergamenus* inquit,
utpluri.

ut plurimum pollet. Et licet nonnunquam pars aliqua corporis sit calida, v. g. jecur calidum, ventriculo frigidō existente; tamen tamen abest, ut per hanc viscerum ~~avittat~~ sanguinis coctio promoveatur, ut potius malorum omnium fax ac tuba existat.

DE SEXU, cuinam scilicet affectus hic primario competit, ut pluribus disputetur, non est necesse, cum vel prima hujus discursus linea omnem dirimat litem: virgines impimis sunt viro maturae, quibus justissimus vindex Deus ob peccata hosce imponit cruciatus: post has verò viduis & maritatis sterilibus, maximè pulchrioribus Rodericus à Castro Lusitanus tribuit.

Quid verò causæ sit, quod rariùs deformiores, frequenter autem pulchriores virgines hoc malo corripiantur? si quis quærat, illi cum Sennerto lib. IV. med. pract. part. II. sect. 3. cap. 2. & Roderico Castrensi lib. II. de morb. mul. cap. 5. respondendum esse videtur, quod, tametsi deformiores, quarum constitutioni sanguis crassior minus nocet, ex ejusmodi assumtis sanguinis crassioris naturæ respondentibus, aliquam molestiam persentificant, non tamen semper corripiantur; quia alimentum alito simile usurpant: pulchriores contrà jucundo ac flrido sanguine saturatae ex assumtis naturæ jucundi sanguinis familiaribus, amabilem quidem, sed periculō plenam corporis adipiscuntur ~~diagnos~~, adeò ut paululum liberalius si indulgeant genio, infinitis exponantur ægritudinibus, quoniam partes bene temperatae bonum sanguinem, quantum quidem ad nutritionem opus erat, ad se trahunt, reliquum verò rejiciunt, qui successu temporis putrefactus totum corpus coinquinat: quin imò facilius quoquè color ex humore pituitoso in corpore alijs candido appareat, quam in fusco & nigro.

Quæstioni, quam hic nonnulli de viris, num & illi etiam hisce colorum defœdationibus obnoxii sint, nos superius cap. 4. quantum instituti ratio postulat, satisfecisse arbitramur, quæ etiam ibidem haurienda sunt.

AETAS conveniens, cuiusmodi in virginibus annus pubertatis est, suum addit symbolum. Id optimè delineavit

sacra

sacra medicinæ conditor Hippocrates loco ante citato; & sœpè laudatus Guilielmus Ballonius libr. de virginum & mulierum morb. in virginibus adultioribus minoribusque, sive menses eru- perint, sive jam erupturi sint, præsertim quando aliquarum voluptatum illecebris iretiuntur, viriditatis florem in fa- cie discuti ac arescere, contrà verò pallore illas affici, expressis docet.

Nec leve prætereà adjumentum afferunt CAUSÆ, quæ de- sumuntur è RERUM NON NATURALIUM numero.

Hic agmen dicit AER, qui cùm est justo frigidior, humili- dior, aut pluviosus, non modò excessus sui notam internis visceribus, præsertim si naturalis viscerum temperies symbo- la reperiatur, imprimis, verùm etiam haut raro in iis, quæ eò tempore, quô catamenia fluunt, pravæ aëris constitutioni se- se committunt, omnem menstrui sanguinis purgationem sup- primit. Hujus exemplum refert Philippus Grülingius medicus Stolbergensis, centur. III. curat. obs. 12. Quoniam verò, tempora anni quoque in excitandis mutandisque morbis sunt conside- randa, notante Hippocrate sect. III. apb. 1. & 19. αἱ μεταβολαὶ τῶν ὡρέων μάλιστι τίκτυαι νοσήματα, ἢ ἐν τῇσιν ὕεροιν αἵ μεταβολαὶ οὐ ψύχοσι, οὐ δάλψιοσ; tempestatum anni mutationes po- tissimum morbos pariunt, & in ipsius anni tempestatibus magna mu- tationes frigoris & caloris; nos in primis brumam ac autumnale tempus, quô venti fremunt, pluvia, ac nix omnia tegunt, ac hu- mecent, ad producendum hunc affectum credimus esse com- modissimum. Accedit etiam, quod tunc temporis horarii fructus omnis generis sint maturi, & in copiâ ingerantur, unde cruditates coacervatae totum corpus ad malum disponunt habitum.

MOTUS corporis moderatus, ut verum caloris no- stri existit fomentum, & redundantium fuliginosarum super- fluitatum, quatenus illas per corporis poros ac meatus propel- lit ac dissipat, aptum est remedium; sin intermissus fuerit, & delicatulæ virgines sedentariæ vitæ operam dantes totos dies plumbulis affixæ, nendo, fila trahendo, similibusque negotiis, otium magis quæ sapiunt, consumant, patentes huic malo

foros aperiri, quis est qui inficias iverit: ignavia siquidem, ut
in proverbio est, corpus hebetat, labor firmat: unde etiam rusti-
corum filiae virgines ob quotidianos labores motusque, quan-
tum urbanis, otiosis voluptatibus, fenestrarumque valvulis ad-
dictis, integrâ sanitate antecellant, quotidiana loquitur expe-
rientia; cum illarum facies rarius expallescatur, corpus noctu
rarò sudet, os salivâ non scateat, nec nares aut naturalium oræ
humore madeant, quæ omnia in oppidis mollissimo cultu vi-
ventibus propria quasi sunt. Interea autem, hæc dum dici-
mus minimè probamus perversum illum chorearum de nocte
in noctem, & interdum statim à pastu institutum motum, cùm
itidem multas incommoditates accersere valet: agitantur si-
quidem saltando corpora, spirituosaæ partes dissipantur, mul-
taque introducitur cacochymia.

CIBI & POTUS PRAVITAS, quantum affectui huic semi-
nii suppeditet, nemo ex plebejis etiam erit, qui ignoret; præter
enim id, quod plurimæ virginum (res est maximè deploranda,
& peccant ejusmodi imprudentes non solum in propriam vale-
tudinem, verùm etiam in ipsum rerum Conditorem D E U M,
cujus sapientiam vituperant, uti Sennertus cit. de virg. morb. loc.
increpat.) pro flrido & rubicundo colore, quem rusticum esse
perhibent, ut pallescant, & amatoribus, quod stolidè sibi ima-
ginantur, magis placeant, jugumque virginale quantô ad de-
ponendum desideriò ducantur, palam efficiant, rebus noxiis
adque nutriendum ineptis fruantur, dum scilicet acetum bi-
bunt, triticum crudum, aut alia frumenta cruda, cretam, ter-
ram, calcem & similia comedunt; aliò etiam modò cibum &
potum, quantitate, qualitate, aut utendi modo peccantem in-
gerendo bonæ viciū rationis limites transgrediuntur.

NIMIA COPIA assumptus cibus fermentum ventriculi
obruit & labefactat, omnium cruditatum & obstructionum, ex-
crementoriumque variorum mater & scaturigo. Οὐς ἀντερ
ῳδῷ Φύσιν πλειῶν ἐσέλθῃ, τῷτο γῆσσον ποίει: ubi copiosior præter
naturam cibus ingestus fuerit, id morbum creat: Καὶ γὰρ αἱ πληγά-
σις αἱ ἐστὲ ἔχατον αἱ φυγέναι χαλεπαῖ: siquidem ad extremum
perductæ plenitudines graves sunt: dipinus Senex I. aph. 4. & II.
aph. 17.

QUA-

QUALITATUM ratione hic accusantur omnia alimenta succi crassioris, ut imprimis fructus fugaces, leguminæ, laeticinia, item cibi & potus adstringentes, acerbi & acidi, quibus cùm crebrò sese delicatulæ virgines invitent, sanguinem pituitosum contrahunt, ductus & venarum oscula oppilant & coarctant, undè non potest non hydra hæc malorum lernæa introduci, præprimis, si tempore menstruæ purgationis ejusmodi ingurgitantur. Sic à lacte crebriùs & copiosiùs assumto chlorosin & obstrukções uteri contumacissimas exortas fuisse scribit fidelissimus quondam Preceptor Godofredus Mæbius vñ cyp̄ aiȳois epitom. inst. libr. IV. part. II. cap. I. Horum etiam à parte stant alimenta omnia calidiora & sicciora, sive alimentoſa, sive medicamentosa largâ manu sumta, ut sunt v.g. aromata, piper & ejusceſmodi alia; tūm quòd partium, imprimis verò epatis substantiam valdè exſiccent, tūm quòd haut raro calidam iſpis concilient intemperiem. Vina craffa & auſterā, cerevisiæ recentes, nec defecatæ, acetum & alia acida haut post principia ſuo auxilio hic ſtare ſolent. Ebrietas omnium malorum fax & tuba, ut vitium in omni ſexu summè deteſtandum, ſic in primis uidis virginibus ſummæ cedit ignominia, & niſi immaturo funere ad ipsam urnam iſtas ducat, certiſſimam tamen sanitatis perniciem iſpis accelerabit.

INORDINATA quoque cibi assumtio, & perversus uendī modus plurima accersere ſolet mala, in primis ſi novi cibi, priore nondum digesto, ingerantur, aut illi nimia varietate in qualitatibus planè non conveniente aſſumantur. Exempla earum, quæ ob inordinatam viſtū ſrationem colorum defœdatione pœnam luerunt, in practicorum libris hinc inde plurima proſtant. Videantur hac de re Roderici à Fonſecā, cap. de febre alba p. m. 58. & Balthasaris Timæi von Guldenklee Med. Elect. Brandenb. libr. 4. de chlorosi pag. m. 214. consultationes.

Hic non possum non, quin unicō ſaltim verbō mercuriū, quō virginum nonnullæ, externæ ſuæ formæ gens admodum ſtudiosa, in consarcientiſ faciei fucis temerariè utuntur, reprehendam, quippe horum mercurialium unguentorū, extremitis licet admoveantur membris, viſ tanta eſt, tamq̄ue per-

tinax & maligna, ut omnes partes principes coinqinet, cachexiam, hydropem totiusquæ corporis fœdum, tumidum plumbeoque perquam similem introducat colorem. Ab hujus ergò perniciose usu, ut unguentariæ hujuscemodi virgines ac mulieres sedulò sibi caveant, cum *Jacuto Lusitano*, qui venenatos indè protuberantes fructus prolixius recenset, *lib. i. de medicor. princip. hist. quest. 10.* fideles sumus autores suasoresque.

SOMNUS & VIGILIÆ, utraquè modum excedentia, cùm ex *Hippocratis decreto*, *2. aph. 3.* sint malum, hīc ἀσύμβολα non accedunt. Immoderatus somnus nativum corporis calorem hebetando diversimodè cruditates inducit, ac ingentem exrementorum copiam in utero coacervat: abruptus verò, spiritus exhaurit, omnesque corporis coctiones impedit.

In hanc classem referuntur etiam EXCERNENDORUM RETENTIONES, ac RETINENDORUM EXCRETIONES. Fluxūs menstrui purgatio intercepta quantum malum hoc augeat superiori capite satis demonstratum. Aliæ quoquè evacuationes, vel per venæ sectionem vel per purgationem consueto tempore institutæ, si intermittantur, aut illæ, quæ nonnullam naturâ sponte fiunt, ut sunt narium hæmorrhagiae, & in nonnullis hæmorrhoidum fluxus, aut sensiles vel insensiles corporis transpirationes intempestivè suppressantur, adjutrices quoq; porrigunt manus. Venus in maritatis vel ob viri impotentiam, vel aliam causam non exulta, in illis quoquè deprivatae hujus discolorationis autor est. Alvina excrementsa, si ea legitimo tempore non exterminantur, tetros fætidosque def se spargunt vaporess, undè sanguinis purpura deperditur.

Agmen tandem rerum non naturalium claudunt ANIMALI PATHEMATA. Irrequietæ animi passiones, & illicitæ ad veneris lusum voluptates, hujus sobolis benevola mater. Indè vel ex *Hippocratis effato*, *libr. superius citato* ὡς ητεγγειων, illa ferè semper hujus mali causa sunt, qua ratione etiam haut raro insanus amor, uterique furor conjungatur, Sic *Johannes Langius*, *lib. i. epist. 21.* mentionem facit cuiusdam virginis viro jam

jam maturæ, quæ ob anxiè desideratas nuptias in hanc incidit corporis defœdationem. Et sæpissimè laudatus Parisiensium medicus Guilielmus Ballonius, libr. de virg. morb. sequentia memoratu non indigna scribit: In vico sancti Antonii quædam virgo viro matura annisque plena præ fœdis coloribus mirè languescebat: incredibilibus symptomatibus hæc, præsertim oppressione, hystericaque suffocatione detinebatur: Et huic virginis uteri totaque vulva adeò hiabat, ut vix quisquam credere possit, quo medici colligebant, præcipuum mali causam in veneris appetitione consistere; & naturam isto uteri hiatu satis indicare, quodnam tam longi mali remedium aptum futurum esset. *Hæc Ballonius.* Cæteras quoquè animi passiones, ut sunt ira, terror, mœstitia, gaudium &c. non excludendæ, cum ex his, quatenus excedunt, mali hujus radix facile protuberare potest.

His sub finem etiam annexere placuit horrendas quarundam virginum imprecations, quibus, nescio quō geniō ducitæ, ob levem forsitan, quam inde sentiunt, molestiam, menstruum fluxum diris devovent, & in hanc providam ac prudentem naturæ ordinationem, quâ sine vel ipsæ non existent, vel vitam mille calamitatibus plenam ducerent, graviter debacchantur; undè etiam illæ justis postea multantur pœnis, adeò ut in contumacissimas & vix reserandas mensium suppressiones, aliaque gravissima inde promanantia symptomata incident, & haut raro culpam præproperâ morte expiare necesse habeant, cuius crudelè admodum exemplum, quando ex indignatione virgo quædam menstruas hasce purgationes horrendum in modum devoverat, posteaque in truculentam hujus morbi labem inciderat, nobis aliquando in praxi occurrit.

Res NONNATURALES excipiunt PRÆTERNATURALES, quæ in primis sunt viscerum alimentorum coctioni & depurationi dicatorum intemperies frigida & humida, uterus quoquè frigidior validæ item horum viscerum obstrunctiones, & ex his promanantes notissimi illi affectus, malum hypochondriacum, melancholia hypochondriaca, quibus etiam adnun-

meramus febrim quartanam; hepatis etiam tumor, prout de ca-
chexia in genere Lazarus Riverius cent. i. observ. 68. attestatur, in
nostro hoc affectu non minorem praebet ansam; mensum quo-
què suppressio, qua de cùm antecedente capite prolixius egeri-
mus; hic repetere illam supersedemus. Et tantum de causis
mediatis remotioribus.

C A P U T VII *morbi differentias addit.*

Absolutâ hactenus causarum historiâ ad DIFFEREN-
TIAS ut nos convertamus, recepta exigit practicorum
methodus. Ex dictis autem innescunt sequentes:

I. GENERIS ratione, Chlorosis alia est intensior
cum majori coloris defœdatione, gravissimis & multis stipata
symptomatibus; alia verò remissior, ubi à naturali corporis
nitore vix sensibilis datur recessus, & symptomata etiam sunt
mitiora, neque tam ingens horum syndrome occurrit: hæc à
sanguine nondum ad æxum perducta; illa verò à vitiosorum
humorum invicem commixtorum corruptelâ oritur. Sic etiam
alia dici potest recens, seu in fieri, alia verò inveterata, seu fa-
cta, & confirmata.

II. SUBJECTI ratione dicitur vel universalis, vel parti-
cularis. UNIVERSALIS nuncupatur, quando totius corpo-
ris habitum cum omnibus sanguinis coctioni & depurationi dis-
catis partibus occupat; PARTICULARIS, quæ unam saltim
principem corporis partem obsidet.

III. CAUSARUM ratione, oritur alia ab errore diætæ,
alia à viscerum imtemperie, ex illorum obstructionibüs alia;
aut evacuationibus suppressis. Quot enim dantur causæ à
quibus malum hoc dependet, tot etiam numerari possunt dif-
ferentiæ, quas omnes, cùm superiori capiti prolixius illas at-
tigerimus, hic ad nauseam repetere, esset crambem bis coctam
recoquere.

CAPUT VIII

doctrinam signorum diagnosticorum cum
distinctivis exhibet.

Diagnosticā signa, juxta illud ὁ ἀριστα γένεσις, ἀριστα γέ-
γνησις, & Galenum libr. τοῦ πάτερος de medico, μόνος
δὲ αὐτὸν οὐκέτι εἴπεις εἰδότος θηραγένην, qui
signorum cognitionem habuerit, is solus ritè curationem
aggredietur, summè necessaria sunt, per illorum quippe ob-
servationem prudens & solers medicus à stolidō discernitur
empiricō, fallaci analogismi fulcrō nixō. Sed hīc optan-
dum, ut eādem sagacitate, quā Galenus l. 5. de loc. aff. c. 7.
in dignoscenda affectuum sede ex solo colore usus est, pol-
leamus, ut sceditate faciei inspectā, statim de hepatis, lienis,
uteri aut mesenterii vitiō nobis, constaret: nec enim perpe-
tuæ sunt veritatis, quæ ex solā cutis coloris inspectione de-
promuntur signa, cùm in aliis quoque affectibus, uti partim
ex superioribus, partim ex subsequentibus patebit, gratus
corporis color in scēnum ac pallidum degenerare soleat.
Taceo, quod sēpissimè ægrotantes præ intempestivō pudore
in enumerandis iis, quæ medico ad faciliorem felicioremq[ue]
curationem scitu necessaria sunt, obmutescant, vel haut raro
præter urinam medicis nihil offeratur: quō verò in casu non
ad proletariam, sed quæ arti conveniens est, conjecturam
confugiendum est.

SIGNA igitur PATHOGNOMONICA in hoc affectu ra-
tione GENERIS sunt; *color totius corporis pallidus, lividus, sub-*
viridis ac plumbeus; humores enim crudi, pituitosi ac serosi im-
primis hīc peccant, qui postmodum ad peripheriam corporis
delati toti corpori colorem hunc inducunt, uti suprà hoc fuit
annotatum, & quoniam ob ingentem viscerum discrasiam va-
rii invicem humores sunt commixti, accidit, ut color ille mo-
dò subflavus, modò virescens aut plumbeus appareat: *facies tu-*
met, oculorum palpebrae sunt molles & inflatae, ob sanguinem fla-

tuo-

tuosum multisque serositatis refertum, quem genæ ac palpebræ, cùm per se laxæ ac flaccidæ sunt, instar spongiæ facile imbibunt; crura & pedes, imprimis circa malleolos, intumescent, humorum pituitosorum, ac serosorum colluvie tanquam ad partes illas decliviores, devolutâ.

Ad sunt quoque præterea COMMUNIA SIGNA, actiones lœsas, excreta & retenta, ut & qualitates mutatas quæ concernunt: prodeunt enim hinc, tanquam ex equo Trojanô varia symptomatum agmina, quorum potissima, postquam etiam superius ex Hippocrate, lib. θεραπειῶν fuitè fuerunt proposita, nos brevitatè studentes usitato ordine paucis recentebimus.

Actiones lœsas diversarum facultatum respiciunt appetitus postratus, vel p. n. auctus depravatusque, vomitus, ardor & inflatio hypochondriorum, cardialgia, arteriarum pulsus parvus ac frequens, respirationis difficultas, imprimis si vehementer moveantur, aut acclivia & altiora loca conscedant ægræ, cordis palpitatio, syncope, febres inordinatae, seu erraticæ, dolor capitî gravatus, vertigo, melancholia, convulsiones epilepticæ, paralysis, omnis generis inflammations internæ, tumor, seu scirrus epatis vel lienis, aliaque plura symptomata; cùm ferè nullus inveniatur morbus, qui huic malo sese non associari amet, quæ tamen omnia non in omnibus semper apparent, sed pleraque in plurimis, & omnia in quibusdam.

Tač συνεργόμενα ήγη ἐπεχόμενα, Excreta & Retenta latbras hujus mali optimè patefaciunt. Urina tenuis in puellis viro maturis plerumque chlorofisin indicat, ut monet Excellentiss. Dn. Godofredus Mæbius b. m. epitom. instit. l. III. part. I. sect. 3. cap. 4. Pauca si reddatur urina, signum est serum illud in habitu corporis detineri, quod postmodum totius, aut partium intumescentias, fœdum faciei colorem, variaque vitia cutanea profert: Idem cit. loc. Menstrua sive penitus suppressa, vel aliquo modò diminuta, infallibile hujus morbi argumentum sunt: accedit nonnunquam alvi adstrictio.

Hic interrogati, an præsentia lactis in virginum mammis,
quam

quam nonnulli pro indicio amisse virginitatis defendunt, certum
buic affectui signum tribunt? rem innixi autoritate Magni Hip-
pocratis s. aph. 39. & observationibus tot clarissimorum medico-
rum affirmamus, dicentes, quod si in virgine alia furtivæ ve-
neris suspicio desit, tunc etiam, cœteris paribus, hoc pro Chlo-
roseos signo esse habendum; non obstante, quod lacteus ille
humor non perfectum lac, sed sui generis sit nominandus: per-
verso enim ab obstructionibus naturæ cursu, haut mirum est,
si sanguis, qui per uterum excerni debebat, ad spongiosas
mammas traducatur. Videantur Alex. Benedictus, lib. 3. anat.
cap. 4. Amat. Lusitanus cent. 2. curat. 21. Et cent. 7. observ. 48. Et alii.

Qualitatum mutantarum ratione coloris superius mentio-
nem fecimus; intolerabilis quoque interdum ejusmodi disco-
lores virgines comitatur fœtor, adeò ut ingratissimum amato-
ribus sit illarum consortium; quæ graveolentia certè sanguini-
nis menstrui putrefacti & corrupti retentioni unicè est adscri-
benda. Huc etiam referimus mammarum mollitiem ac flacci-
ditatem, quæ, licet nonnunquam à nimia & crebrâ earum con-
cretatione & complosione oriatur; maximè tamen mensum
retentio humorem flatulentum & flacidum suppeditans causa
existit. Æquum quidem fuisset singulorum accidentium ra-
tionem addidisse, quomodo ex dicto affectu promanare que-
ant; verum, ne præfixos succinctæ methodi limites nostra trans-
grediatur dissertatio, pleraque etiam ex cruditatibus, excremen-
tisque redundantibus in mastâ sanguineâ provenire facile intel-
ligantur, hæc, quæ hactenus dicta, sufficient.

SUBJECTI ratione diagnosis ut necessaria, ita ex pro-
priis, cordis, ventriculi, jecoris, lienis aut uteri læsionibus
illa petenda: intemperiem cordis modò frigidam, à sanguine
crudo & terrestri, vitalem caloris flammam sufflaminante or-
tam, modò calidam, propter humorum putrefactionem parti-
umque sulphurearum accensionem introducam, pulsus par-
vus ac frequens, febresque inordinatæ satis declarant: quando
à tumore, aut scirrho viscerum malum oritur, genuina cu-
juscunque partis affectæ signa aperient: inflammati visceris in-
gens dolor erit indicio: obstructions in hypochondriis ubi

adsunt, inflationes eorundem, & molesta arteriarum circa regi-
onem lienis, aut pancreatis pulsatio advertuntur: mensium
suppressio semetipsam ut forex prodit.

CAUSARUM ratione diagnosis etiam perutilis est:
quinam autem humores abundant, aut principaliter peccent,
ex propriis signis pituitam, vel bilem, melancholiam vel se-
rum arguentibus, satis erit manifestum; an verò isti à naturali
viscerum dispositione generentur, aut præternaturali aut er-
roribus in vietu, item, num catameniorum suppressio diu du-
raverit, ex artificioso συχασμῷ, & fideli ægrotantium relatio-
ne patebit.

SIGNA ΔΙΑΙΡΕΤΙΚΑ, seu DISTINCTIVA, ne
similitudine affectuum decipientur medici, necessaria sunt ob-
servanda. Dissidet virginum pallor ab icteritiâ flavâ, & nigrâ,
1. ratione generis; etsi enim in his quoque est coloris universi
corporis mutatio; illa tamen deprehenditur discrepancy, quod,
sicuti ibidem vel flavedo, vel nigrities præponderat, ita hîc im-
primis pallidus, aut ex virore lividus appareat color. 2. ratione
subjecti. Id esti flavi principale subjectum epar, nigri verò lien-
statuitur: nos præter hasce depurationi sanguinis dicatas par-
tes, reliquas quoque omnes sanguificationi ac chylificationi
ancillantes, ut & uterum respectu catameniorum suppressio-
nis, hujus nostri affectus subjectum posuimus. 3. ratione causa-
rum. Regius morbus pro primariâ causâ humorem biliosum,
id esti verò niger melancholicum agnoscit humorem: in de-
fœdatione virginum serosi, phlegmatici, nonnunquam qui-
dem cum cæteris misti, loco principis causæ adstant humores.
Cæterarum causarum ratione, ut & symptomatum, quomodo
differat, ut pluribus declaretur, non est opus, cum res satis sic
aperca.

A melançoliâ hypochondriacâ discernitur, quod in hâc
humorum crassities per adustionem, in χλωρῷ verò, ob de-
pravatam chylosin introducatur: adde, quod ibidem ut pluri-
mum macies ac corporis consumtio, hîc verò corporis p. n.
intumescensia, rarius propter omne cibi fastidium atrophia
subsequatur.

A suffocâ

A suffocatione uterinâ distat, quòd in hâc uterus corruptis,
& malignis vaporibus repletus, illos ad vicinas partes mittat
eas comprimat, respirationem offendat, ac horrenda symptomata producat: in chlorosi frequentius obstrunctiones extra
uterum in aliis visceribus urgent, & mitiora adsunt accidentia,
eaque inter dispnæa, non quòd diaphragma ab ascendentibus
vaporibus comprimatur, sed quòd illud viscerum repletorum
magnitudine, vel gravitate impediatur.

Inter cachexiam simplicem, & virginum defædationem hoc
ponimus discrimen, quòd illa etiam sine mensium suppressione
oriri possit; hæc vero nunquam illâ careat, quodque hæc gra-
viora conjuncta habeat symptomata. A reliquis similibus affe-
ctibus, observatis nimirum, quæ antecedentibus paginis mo-
nuimus, facilis erit determinatio: & quia præprimis hic affectus
quædam enumeratorum symptomatum cum imprægnatione
communia habeat, & sæpè furtivâ venere usæ injuges, sub hujus
mali specie vitium tegant, & à Medico auxilium petant, distin-
ctivis signis hîc opus est, quibus medicus practicus malitiam
malitiâ superare valeat; quâ in re consulendi sunt autores me-
dici, quos inter etiam Rodericus Castrensis Lusitanus libr. 3. de
coitu & conceptu cap. 7. p. m. 123. signa imprægnationis enu-
cleatissimè depinxit.

CAPUT IX prognosin, morbi longitudinem modumque eventus explicat.

SALUTIS ET MORTIS prognosticum Aretæus lib. 1.
de caus. & sign. diuturn. morb. cap. ult. eleganter delineauit, de simplici cachexiâ ita scribens: ή ναχεξίν υψος
δυσαλγής, ή ὁ μόκισον. ηδη γδ τούτης χρηστώ μακέω, ηδη
γδὲ οὐτὶ μηγ τούτων σώματος κακίη, ηδη γδὲ οὐτὶ τολμάγχω εἰν αὐτῷ
γδ ἀπάντων τερπτὸ εἰς πονηρὸν. Cachexia morbus difficulter sana-
bilis, & malum longum, longò tempore fit, neq; ab uno corporis vi-
tiō, neque ab uno viscere prodiens, sed omnium in deterius est con-
versio: quæ verba optimo jure ad nostrum hunc affectum appli-
care possumus.

GENERICIS ratione quidem, cum corporis coloratio ab humoribus sit, quoad prognosin nihil certi determinandum, verum interim est, quod colores externi sunt deteriores, h. e. ubi ad nigritiem magis defœdatio fuerit progressa, eò pejorem quoque morbi statum denotari, certò indicio, melancholicum ibi prævalere humorem.

S U B J E C T I ratione prognosis clarius elucet. Affetus est periculō plenus, quando cordis calor, qui vitæ nostræ cynosura est, penitus est destructus; facile enim accedit, ut facultate vitali oppressâ ægra subito moriatur: deinde etiam terrificum ferendum judicium, quando aut lien, aut epars cirrhoticum deprehendatur: metum prætereà sinistri iudicii affert ventriculus in actionibus suis valde turbatus, dum nimis ad oblates ægræ se non rectè habent, *juxta Hippocratem 2. aph. 33.* aut quando post oblates propter insignem cacochymiam non proficiunt, *2. aph. 8. & 31.* vel demum omnem cibum, vitalitatis pabulum, aversantur, *2. aph. 32.* patulæ enim exinde hydropi aut tabi aperiuntur fenestræ. Uterus nimis refrigeratus, præsertim ubi accedit mali diuturnitas, nisi sterilitatem ipsam, omnis generis tamen calamitates & pericula, imprægnationis tempore, futuris mulieribus accelerat.

C A U S Æ quod potentiores, eò malum est funestius, gravius faciliunt periculum causæ internæ, quam externæ. Magna salutis spes elucet, quando menstrua statas periodos repetunt, & debita quantitate & qualitate donata progrediuntur. *Lazarus Riverius præc. med. lib. XV. cap. I.*

LONGITUDINEM ET BREVITATEM quod attinet, morbus virgineus, nisi altas egerit radices, si in principio, brevis est, & nonnunquam in ipsâ herbâ suffocatur, virginesque, solutis videlicet circa uterum obstructionibus, pristino restituuntur nitori; quin imò instantes nuptiæ, conjugii candidatis morbum reddunt breviorem, *juxta effatum Hippocratis, libr. sepius cit. ὦ θεί πατέρισσων.* Econtrà, ubi malum fuerit neglectum, ac inveteratum, obstructions pertinaces, & magna contingat nutritionis depravatio, ad salutem spes anceps est, & non nisi on gō tempore curantur, imprimis quæ provectionis sunt ætatis,

cis, quasque de contrahendo matrimonio omne deseruit solatium.

DE MODO EVENTUS pauca annextere placet, :
τὸν αἴχνην τῶν ὑδροπικῶν παθῶν καχεζίαν καλεῖν εἴσισμεθα,
ait Aegineta, principium hydropticarum passionum vocare solemus
malum habitum. Via Chlorosis ad hydropem est trita: degene-
rat in leucophlegmatiam, à quā gradibus saltim differt. Si ma-
ligni & corrupti vapores caput petant, ad insaniam & delirium
virgines ducunt. Sennertus libr. IV. part. II. sect. 3. cap. 2. Ab ob-
structionibus, quæ in hepate aut liene sunt, melancholiā, aut
icterum flavum, vel nigrum oriri posse scribit Rodericus à Castro
lib. 2. cap. 5. de morb. mulier. Atrophia & tabes, magnum ubi
adest cibi fastidium, ob defectum partium assimilandarum haud
rarò occurrit. Febres longas, scorbutum, omnis generis fœ-
das cutis exulcerationes, aliaque plurima vitia, ex hoc tanquam
mala scaturigine promanare posse, quis est, qui in dubium ve-
lit vocare,

CAPUT X

curationem & methodum medendi secundum
indicaciones proponit.

Hactenus ceu in tabulâ vivis suis coloribus & moribus
CHLOROSIN depinximus, proximum nunc est, ut ipsi
manum admoveamus; πόλλα γδὲ συλλογίσκως, ἀλλὰ
βούθεις δεῖται τῶν πραγμάτων: plenque enim non ra-
tiocinatione, sed auxiliō indigent, verba sunt divini Senis libr.
ὧν ἐνγηνοσύνης.

CURATIO autem absolvitur secundum methodum re-
ceptam suis indicationibus, desumptis à rebus vel præter, vel se-
cundum naturam, suntq; curatoria, præservatoria, quo etiam ur-
gentia symptomata referimus, & vitalis, quæ cuivis medico, si
citò, tutò, & jucundè curare velit, examussim sunt observandæ.

CURATORIA contrariis morbum aggreditur, cumque
illa cutis δύρεσι ab humorum qualitate, quantitate & motu
peccantium labet, hæc verò à viscerum naturali statu aberran-

tium culpâ, tanquam causâ dependeat, altera indicationum, quæ PRÆSERVATORIA dicitur, & causas morbi respicit, maximè hîc locum habere videtur: Illa autem chlorosi vel præsenti insidiatur, vel futuræ occurrit.

PRÆSENTEM curamus, sanguinem vitiosum pituitâ, bile, serô aut melancholiâ p. n. abundantem præparando, evacuando, mundificando, & à cuie divertendo, ubi ad viscerum intemperiem, aut obstrunctiones simul respiciendum, calida intemperies refrigerantibus, frigida caletacentibus temperanda est: obstructionibus per aperientia obviam eundum.

FUTURÆ occurritur, si quando prohibeamus, ne humores in corpore contenti vitium contrahant, aut lunares evacuationes consuetæ præter modum suppressantur.

VITALIS partium robur per alimenta ac medicamenta convenientia sartum tectumque conservandum esse suadet.

SYMPTOMATIBUS etiam, si quædam urgent, & causæ naturam induunt, majusque periculum minitantur, sedulò occurrentum, qualia sunt appetitus prostratus, pica, cordis palpitatio, respirationis difficultas, febres erraticæ, & similia. Arma, quibus hostis est debellandus, ex triplici usitato remediorum fonte sunt petenda.

CAPUT XI

*indicata chirurgica, eorumque materiam
in specie subministrat.*

CHIRURGIA imprimis generosum illud auxilium VENÆSECTIONEM suppeditat, quæ in virginum cachexiâ, utrum securè administrari queat, non levis suboritur animi pendentia. Et sanè non desunt rationes, quarum gravitas illius usum in nostro affectu omnino dissuadere videtur: Sanguis, inquit Fabr. Hildanus *Chirurgus super omnem laudem positus tract. de tuenda sanitate, thesaurus est vita & anima, non nisi maximâ urgente necessitate detrahendus: unâ enim cum sanguine spiritus vitalis detrahitur, hinc epatis & omnium partium refrigeratio, viriumque labefactatio sequitur.* Virtus à crudis

eruditis succis in hoc affectu exoluta per venæ sectionem in extre-
mum incidet malum, à quo nunquam emerget; singulari cum
emphasi monet *Ballonius d.l.* Nulla hic adest plethora, neque
~~ωργὸς ἀγεία~~ neq; ~~ωργὸς δύναμις~~, sed cacochemicalis succis omnia
plena; adest totius corporis insignis refrigeratio, certissimum
annonæ caritatis in regnō sanguineo indicium, quæ omnia à
venæ sectionis usu nos arcere videntur: ne interea à tot Claris-
simorum virorum, ipsius usum in morbō virgineo magni æsti-
mantum, sententiâ omnino discedamus, præparcam sanguinis
missionem, positis ex mente *Sennerti* aliorumque celebratissi-
morum praticorum certis quibusdam limitibus; hīc quoque
immolabimus, distinguentes inter morbum, quatenus is est vel
recens, vel inveteratus; ibi, cùm plenitudo quidem cacochemicalis,
non verò cacochemicalia simpliciter dicta adsit, quò vasorum
ac viscerum felicior acceleretur depletio ac reseratio, subsisten-
ti massæ sanguineæ liberior concedatur motus & agitatio, & na-
tura à copiis hostilibus liberata liberiùs de grati commeatūs
præparatione spirituumque restauratione corpori prospicere
possit, laudabilem istius usum valde commendamus: hīc verò
in malo inveterato, ubi insignis corporis persentitur refrige-
ratio, & crudi potius humores, quam sanguis, peccant, plane
nullam admittimus, vel si interdum, suafore *Job. V Valeo, med.*
meth. pag.m.72. à medico tentanda, moderatè & per *Thymagov,*
seu frequentatas repetitiones instituatur, interpositis scilicet
medicamentis lenientibus, alterantibus & confortantibus.

Si cum mensium suppressione concurrat plethora caco-
chemicalia, vena brachii, quæcumque ex patientis commodo esse,
& seposito curiosò delectu, à chirурgo tangi posse videtur, pri-
mū apertenda, postmodum verò saphenæ incisionem in talo
imperamus.

Quod si vires, aliæque circumstantiæ jam allatæ venæ-
sectionem non permittant, vicaria remedia in usum sunt vo-
canda.

SCARIFICATIONIBUS & CUCURBITULIS, quarum
laudem praticorum nonnulli in hoc affectu ad cœlum usque
extollunt, parum fidei tribuit jam nominatus *Job. V Valeus de*
meth.

metb. med. pag. 89. quando de iis ita scribit : *be parum operantur, & sanguinem tantum ab uno loco in alium trahunt, seu mouent: nos licet facile admittamus, illas ipsas faburram pravorum humorum eruncare non posse, quin potius sæpè ejusmodi tormentis morbosorum corporum calor viresque magis ad incitas redigantur; omnem tamen cucurbitularum usum simpli- citer denegare, in primis si simul cum aliis, & præmissis præmit- tendis adhibeantur, communis nostri præceptoris Galeni ob- stat autoritas, quando in suppressis mensibus felici cum succes- fu inguini & pubi easdem adhibet, libr. 13. metb. med. cap. 19.*

HIRUDINES, seu sanguisugæ, cruribus, & ubi hemorrhoidum fluxus p. n. impeditus fuerit, sedalibus vasis applicitæ, non omni destituuntur commodô.

FRICTIONES, quatenus humores vitiosos aliquò modò attenuant & educunt, manibus aut linteis asperis institutæ gna- vam præstant operam: ubi verò neutquam probamus frican- tium quarundam virginum impudicas ac nefandas titillatio- nes, dum libidinosis manibus, aut instrumentis nefariè ad actum hunc fabricatis retentos humores extra uteri claustra elidere conantur, & sæpius sine maribus fœminæ fieri illicite intendunt, cujus nefandi sceleris varios apud autores fit men- tio; horum tamen verba, ne levioribus ingeniis, & depravatis mentibus fœdissimi sceleris via monstretur, præsertim cùm sal- vò pudore proferti non possint, hîc præterire placet. Gravissi- mum peccatum est, jure divino & humano graviter puniendum. Videantur c. 38. Genes. & Julius Clarus l. 5. recept. sentent. §. for- nicatio, n. 28. Cordati plura de hâc materia legere possunt apud Zacutum Lusitanum, de medicor. princip. bistor. lib. 2. bist. 47. Rod. Castrenf. lib. 1. de morb. mulier. cap. 15. de gonorrhœa. & Henrie cum Kornmannum de virginit. virginum statu & jure. cap. 48.

FONTICULOS cruribus applicandos, cum Hier. Mer- curiali libr. 4. de morb. mulier. c. 1. Job. Varand. lib. 1. de morb. mul. cap. 2. his verbis probare videtur: Nos, scribit, in mulierculis istis, quibus vix sanguinem mittere licet, nihil constantius ob- servavimus ad exhaustiendam cacochymiam, & menses sollici- tandos, quam cauterii in utroque crure admotionem. Fons hic,

hic, ubi vires planè sunt exhaustæ, morbi mineram stillatim educit.

CAPUT XII

ex fonte pharmaceuticō haurit auxilia.

XΛΩΡΩΣΕΩΣ fomes ac principium, uti in antecedentibus dictum fuit, omnis generis humores vitiosi sunt, non modò quantitate & qualitate, verùm etiam motu peccantes, produci à cacockymia. Hæc evacuationem, alterationemque directè indicat. Duobus hisce scopis ut satisfaciamus, *lenientia*, *digerentia*, *purgentia*, *vomiteria*, *diuretica*, *diaphoretica*, *alterantia* & *corroborantia* pharmacia nobis suppeditat.

LENIENTIA, à quibus omnis curatio incipienda, alia per os assumentur, alia per anum intruduntur. Hujus generis sunt Clysteres suppositoria.

CLYSTERUM usus, ubi malum est inveteratum, vires-que summè prostratæ, quatenus ex partibus vicinis humores pravos ad intestina allucere, vias lubricare, crassam ac viscosam materiam incidere, partium frigidam intemperiem aliquantisper mitigare, vasorumque obstructionibus succurrere valent, maximè hîc eminet. Paradigmatis loco sit sequens;

Rx. mīd. līl. alb.	bacc. laur.
ireos nostr.	juniper. ā. 3ij.
alb.	sem. fœnic.
enul. campan. ā. 3ij.	anis. ā. 3iij.
herb. qial.	Coq. in s. q. aq. f. Colat. ffj. adde
matricar.	elect. benedict. laxat.
absinth.	diacartham. ā. 3j.
fumar. ā. Mj.	ol. aneth.
fl. chamaemeli.	fl. sambuc.
sambuc. ā. Mj.	chamem. ā. 3vj.
	Θ. comm. 3ii.

M. F. Clyster.

SUPPOSITORIA etiam locum habent. Usualia in officinis prostant, fortioribus ubi opus, species purgantes addantur.

LENIENTIA per os data delicatulis virgunculis erunt
grotiora; ut sunt decoct. prun. dulc. passull. mann. cass. recens de-
coct. tamarind. cum rad. scorzon. & cort. aurant. sirup. rosar. solut.
de cichor. cum rhabarb. de polypod. epithym. infus. senn. delicatum
à Prevotio propositum. Huc etiam pertinent variæ compositio-
nes pilularum aloëticarum, quales sunt ♀ reæ Schröderi, Quer-
cet. Bontii: item pil. angelic. Francofurt. & Glässianæ. Nos sché-
matis loco paramus sequentes;

Rx. alcœs succotr. elect. g. xv.	gom. de peru.
jalap. resinos. g. xij.	ammon. depurat. an. g. viij.
♀ r. Ⓛ lat.	extract. bryon. g. v.
⊕ l. ♂ tis puriss. an. 3 <i>fl.</i>	cum essent. ♂ tis liquid. q. f.
F. l. a. pilul. minores D. ad pyxidem. S. Laxierende Abend-Pillen/ davon 9, usf i. mahl.	

TEMPUS sumendi Ægineta lib. 7. cap. 4. ante prandium
& cœnam determinat.

Rx. acidi ♀ r. chalyb. 3 <i>fl.</i>	jalap. resin.
♀ . Ⓛ lat. 3 <i>j.</i>	pulv. cacheet. Quercet. an. 3 <i>fl.</i>
M. D. ad Chart. S. lenitiv- Pulverlein auf 1. mal.	conserv. violar.
Rx. cass. rec. extr. 3 <i>ijj.</i>	♂ sacch. q. l. f. bolus.
Rx. fer. lactis 3 <i>ijj.</i>	D. S. lenitiv-Bissen auf 1. mal
sirup. fl. acac.	
violar. an. 3 <i>fl.</i>	Rx. aq. artemis.
effent. ♂ tis aperitiv. 3 <i>fl.</i>	meliss.
scam. corect. g. iiiij.	puleg. an. 3 <i>j.</i>
M. F. potiunctula. D. ad vascul.	sirup. de cichor. cum rhab. 3 <i>vij.</i>
S. lenitiv-Träncklein auf 1. mal.	aq. cinam. 3 <i>j.</i>
	M. D. ad vascul. S. Laxier- Träncklein auf 1. mal.

PRÆPARANTIA & DIGERENTIA, quæ crassos & visci-
dos humores attenuant, frigiditatē viscerum corrigunt, obstru-
ctionesque aperiunt, hisce sunt subjungenda, quibus semper
humori peccanti & parti affectæ appropriata sunt addenda.

Que

Quæ verò per medicamenta illa specifica in nostrò hōc affectū
sint intelligenda, Dn. Præses in dissert. suis chim. dissert. VI. cap. 3.
apertè docet: Amicus, inquiens, Veneri Mars, magnum utero
promittit solatum; eundem viscosō humore sarcinatum expur-
gat, ad febres álbas ex menstruorum retentione, vicerumquè
obstructione obortas extirpandas, divinum planè est remedi-
um. Hōc etiam præconiō martialia medicamenta ad debellan-
dum hunc hostem mirum in modum extollit *consummatissimus*
Chimiater Lipsiensis D.D. Job. Michaëlis P.P. in dissert. chim. de
ferrō cap. 2. Et sæpius laudatus D. D. Gothofredus Mæbius in dis-
sert. de affect. hypochond. pro loco Jenæ habitâ, Mars inquit, ma-
crocosmi metallicus, analogâ microcosmi Marti respondens,
viscerum primæ & secundæ coctiohi destinatorum solamen
egregium, sanitatis custos & restaurator nobilissimus. Cum
his reliqui autores practici conveniunt: Vid. Sennert. Roderic.
Castrens. Lazar. River. Zacut. Lusit. & alii. Neque hīc exclu-
dimus. ¶ rum, aliaque in hāc affectione ab artis nostræ proce-
ribus specificè deprædicata medicamina, quæ partes conforta-
re, & visceribus naturalem suam temperiem restituere valent.
De his autem infrā.

Humores pituitosi cùm sint frigidi, humidi, crassi, lenti
ac glutinosi, medicamentis calefacientibus, exsiccantibus,
attenuantibus & detergentibus sunt præparandi. Materia
horum multiplex est, & varia: Galenici commendant rad. s.
aperient. scorzon. polypod. cort. cappar. tamarisc. fraxin. fol.
ceterach. chamœdr. scolopendr. capill. ♀ris. cuscut. fumar. co-
cklear. nasturt. flor. borrag. bugloss. violar. centaur. min. sem.
anis. fænic. & ex hisce sirupos, & varia medicamenta prepara-
ta. Chimiæ utuntur crem. & crystall. ♀r. ♀. ♂lat. acid. ♀r.
chalyb. ♂cichor. absinth. fumar. meliss. croc. ♂tis aperit. croc.
♂tis sacchar. pulv. cacheot. Quercet. essent. fumar. meliss. scolo-
pendr. spir. ♂l. ♂l. ♂tis. ♂. Tinct. ♀ri. Tinct. ♂. essent. ♂. cum
pomis parata &c.

Humoribus aliis alia mixta sunt accommodanda,
& quæ suppressa menstrua peculiariter respiciunt, semper ad-
jungenda. Formulæ concinnari possunt variæ.

Rx.	croci ♂. aperit. 3i. crem. ♀. r. 3i. Θ. cichor. fraxin. fecul. bryon an. 3ij. M. D. ad scatul. S. Digestiv- Pulver auff etliche mal.	Rx. acidi ♀ richalyb. 3ij. Θ. fumar. meliss. an. 3ß. pulv. rad. bryon. ari. an. 3j. οο citri, anis. an. gutt. ij. M. divide in 3. partes æquales. D. S. digestiv-Pulver ie- des auff 1 mal.
Rx.	conservæ borag. rad. cichor. condit. an. 3ß. cort. ciur. condit. 3ij. croc. ♂. aperit. 3ij. sirup. de fumar. q. s. D. ad vascul. S. digestiv- Zucker auff etliche mal.	Rx. aq. meliss. fumar. an. 3ij. sarsaparill. 3ij. sirup. aperit. Minderer. 3i. byzantin. compos. 3ij. croc. ♂ saccharin. 3ij. M. D. ad vascul. S. dige- stiv Tränklein auff 2. mal.
Rx.	extr. diacarth. 3ij. effent. ♂. aperit. 3i. sirup. de pom. laxat. q. s. M. D. ad vascul. S. Laxir- und digestiv-Gäfft- lein auff 1. mal.	Rx. Essent. ♂. iū succ. pō. parat. 3ij. fumar. meliss. an. 3i. Tinct. ♀. 3j. M. D. S. Bermischte Essens / darvon 27. Tropffsen auff 1. mal.
	Humoribus ita præparatis PURGANTIA possunt succe- dere. Augustinus Thonnerus loco suprà cit. laudat has pilulas.	

Rx. extr. pancbymag. Croll. 3i.
cum aq. meliss. f. pil. n. 27. D. ad Chart.
S. Purgier Pillen auff 1. mal.

Rx.	pulv. rad. jalap. 3ß. agar. trochisc. 3j. scamm. rosat. g. v. ♀. Θlat. g. xij. cum conserv. S. sirup. resar. q. s. f. l. a. bolus. D. S.	Rx. pulv. rad. bryon. 3j. magist. g. g. gx. croc. ♂. aperit. saccb. g. vj. οο. mac. gut. ij. M. D. S. Purgier Pulver auf 1. mal.
-----	---	---

Fortioribus evacuantibus, si nimirum natura & conditio
xgræ

ægræ id patiatur, morbusquæ incrementum suscepit, & jam
jam hydrops ante fores, felici cum successu utimur.

Mercurialium & Antimonialium medicamentorum usum,
si sūl. rite & secundum artis regulas præparata à pérítō medi-
cō adhibeantur, nequaquam dissuademus, cum sāpenumerò
reliquis omnibus incastum adhibitis, ad hæc, tanquam ad sa-
cram anchoram medici confugiunt. ¶ dulcis studiose tractatus,
in corpore valdè cacochymicō, vix dici potest, quām egregiam
præstet operam. Flores ðii correct. succin. ðii. vitr. ðii per infe-
riora purgans. ¶ vitæ, arcanum antbydropicum Joh. Hartmanni,
crystall. D. bydragogi spagyricâ arte omnia rite elaborata, & cum
granō salis ægrotis adhibita, contra maledicentium livorem
chimiam extollit: extr. esul. & belleb. nigr. idem Joh. Hartman-
nus in prax. suâ chimiatr. pag. 143. maximè commendat.

VOMITORIA in febre albâ virgineâ quantum commo-
di præbeant, sāpē laudatus Guiliel. Ballonius libr. cit. eleganti
historiâ explicat: Aurifabri, inquit, filia duodeviginti annos na-
ta, sexenniō ferè fœdos colores patiebatur. Remediis contra
contumax hoc malum nihil efficitur. Dum peregrè profectura
cursu devehitur, nauseabunda vomit incredibilem humorum
variegatorum copiam, animam agere visa suit; intra quatuor,
quinquevē dies deperditus faciei color recuperatur, nullâ ope
medicâ, sed solō vomitu spontaneō revocatus. Nos hâc obser-
vatione innixi, maximè ubi in primis viis faburram vitiosoru.m
humorum stabulare animadvertisimus, & ægra ad vomendum
est apta, primū mitioribus, ut sunt aq. tepida cum pauxillo olei,
mellis & salis, juscula pinguior, ol. amygd. dulc. &c. postea vero,
habitō respectu ad ægrotantis naturam, fortioribus vomitum
conciliamus.

Elect. diasar. Fernelii ad 38. exhibitum, ut tutissimum &
præstantissimum vomitorium commendat Roder. à Fonseca, con-
sult. 6. pag. m. 60.

Rx. ¶ vitæ rite prop. ḡijj. conserv. meliss. artemis. an. q. s.
f. l. a. bolus. D. S. Magen-Zucker aufeinmal.

Rx. Θ ex ☽ Gl. parat. 3j. sacch. canth. alb. 38.
M. D. ad chart. S. Magen-Salzlein aufeinmal.

Ad evacuantium classem referuntur quoq; DIURETICA & DIAPHORETICA, quæ absolutis purgationibus abundantem in corpore serositatem, aut per \square nām, aut per $\alpha\delta\eta\lambda\omega\sigma$ $\Delta\lambda\pi\tau\omega\eta\nu$ extrudunt, hâc tamē cautelâ, ut circa horum usum intra mediocritatis cancellos subsistamus, semper additis specificis & appropriatis, quæ partibus robur afflant. Ab intempestivô diureticorum usu ipsam cachexiam, aliosve graviores morbos ortos fuisse, nuperrimè in colleg. pract. Jonston. cap. de Diuresi annotavit Excellentiss. Job. Theod. Schenk. M. D. Praeceptor & Promotor meus optimus maximus.

Rodericus à Fonseca Tom. I. consult. pag. m. 572, tanquam singulare diureticum in cachexiâ commendat therebinth. cum sacch. Paradigmatis locô sit;

Rx. sem. violar. 3ij.	aq. gramin.
saxifrag.	fænic.
citr. an 3j.	mellif. an. 3ii.
f. l. a. emulsio. adde sirup. capill. fris. 3ij.	spirit. therebinth. gutt. vi.
	M. D. ad vascul.

G. Harn-treibende Milch auff j. mal.

Spiritus Θ . rectif. sp. aperit. Penoti. sp. Θ l. Φ . \natural . egregia quoq;
sunt diuretica.

DIAPHORETICA in morbô virgineo commendantur singulari encomio, c. b. dissertatione de diaphoreticorum usu. Antecellunt hic Tinct. bezoard. bezoard. 4. \mathfrak{Z} tale, \mathfrak{T} . diaphoret. & quamplurima alia: Paradigmatis locô sit;

Rx. bezoard. 4. \mathfrak{Z} tial. an. 3j.	magist. perlar.
pulv. rad. bryon. 3ii.	C. C. an. g. v. corall. g. viii.

M. Divide in 4. æquales partes. D. G. Schweif. Pūlvere
lein/iedweder s auff ein mal.

Rx. tinct. corall. sudorif. per spir. L. parat. 3ij.

D. ad vitr. G. Schweiftreibende Corallen Tinctur uss
4 mal.

ALTERANTIA & ROBORANTIA supersunt. Cum au-
tem

tem variæ sint partes, quæ in hōc morbō afficiuntur, ex *alterantium* & *roborantium* penu ea potissimum eligenda, quæ cum partibus affectis familiaritatem aliquam obtinent: sic ratione epatis obstruēti, intemperati, aut aliō modō affecti, hepatica; ratione uteri, ventriculi, renū, mesenterii, aut alterius partis læsæ, uterina, stomachica, aliaque virtute quādam specifi- cā prædita medicamenta sive interiùs, sive exterius, sunt ap- plicanda: quorum tamen omnium abundantem cumulum hīc enumerare, neque temporis penuria, neque instituti nostri ra- tio permittit, cūm non integrum ac consummatum de hāc ma- teriâ tractatum, sed theses saltim aliquas proponere animus sit: adde, quod de singulis partium harum affectibus, earumque curatione, peculiariter tractent practici, ad quos lectorēm be- nevolū brevitatis studiō nunc alegamus: nos interea nostris ægrotis pro causarum varietate, varias quoque tam internè, quam externè, ut *tincturas*, *essent. elixiria*, *mixtur. spiritus*, *de- coct. julep. sirup. emplastr. unguent. fōtus*, *balnea*, *suffumigia*, *nasca- lia* &c. médicationes parare sumus parati.

Antequam verò promtuarium hoc pharmaceuticum lin- quamus, secundūm fidem superiùs datam, *alterantia* quædam & *corroborantia* medicamenta in albâ virginum febrē utilissima, singulariter hīc commendare haut piget; sunt autem omnis generis ex chalybe præparata, ut variæ *essentia* & *Tinctura* *ptis aper. croc. &c. aperiens variè elaboratus, croc. &c. absynthiacus. saccharin. Tinctura* *ptis* ~~lata~~, *vinum chalyb. Sennerti, pulv. cache- eticus Quercet. vel Hartmanni. Tinct. ptis Zwölffri, spir. Gl. ptis* & innumera alia; item quæ ex frē parantur, quorum potissima sunt *spir. Gl. ptis, crystall. sapphirini ptis*; nec minoris sortis sunt *Tinctura aperitiva Penoti, Tinctura antibyphochondr. D. Mæ- bii, acidula martiales Kyperi, Schröderi, Glauberi &c.*

Elegantem variorum medicamentorum ex chalybe com- positionem ac præparationem Venerandus Dn. D. Præses in dissere. Chimicis VI. & Chim. in artis formam redact. summâ cum fideli- tate proposuit.

Limaturam *ptis* non præparatam in frustō panis cūm butyo à 3*lb.* ad 3*j.* sumtam, in contumacissimis obstructionibus viscerum egre-

egregiam præstitisse opem, annotavit Excellentiss. D. D. Schenckius
in colleg. suo de simpl. virtute ante duos annos habitò.

Conservam artemisie, superbibendo aq. destill. sabinæ, in quâ
noctu rhubarb. maduerat, ut Σ lac caprinum chalyb. summis laudi-
bus effert Zact. Lusitan. lib. 2. obs. 99. Σ lib. 3. obs. 117. Nobis pa-
radigmatis loco sequens electuarium, quô felicissimô cum suc-
cessu aliquando usi fuimus, addere placuit.

Rx. conserv. artemis.

rad. pimpinell. condit.

matricar. an. 3j.

cort. citr. condit. an. 3ij.

fl. cichor.

croc. Σ tis absynth. 3B.

borrag.

ebor. f. Δ .

bugloss. an. 3B.

specier. diarrhod. abb. a. 3iB.

rad. cichor. condit.

Cum sirup. de cichor. Σ capill. f.

scorzon. condit. an. 3vj.

an. q. f. f. l. a. Elect.

D. ad vascul. S. Eröffnende und stärkende Lattwerge / darvon
Abends und Morgens eine Messerspiße voll zunehmen.

Egregiè quoquè prosunt hæ rotulæ;

Rx. pulv. cacheot. D. D. Præf. chim. in art. form. redact. p. 395.

descript. 3ij.

ebor. f. Δ . specier. diarrhod. abbat. an. 3j.

sach. in aq. scorzon. dissolut. q. f. f. l. a. Rotule.

D. ad scatul. S. Sonderliche Stärk. Kücklein 5. oder 6.
auff einmahl.

ACIDULÆ naturales, ut sunt Egranæ, Schwalbaccenses,
Stoebenses & Wildungenses, ut & therme Carolinæ, discoloratis
virginibus non levem promittunt salutem.

Symptomata affectui huic coacervatim juncta quod atti-
net, illa quidem plerumque sublatâ fovente causâ sponte eva-
nescunt; si tamen urgeant, & morbum magis magisque exaspe-
rent, convenientibus medicamentis sunt mitiganda.

Tandem exercitium venereum in iis, quibus legitimô mo-
dô uti concessum est, cum Ballonio loc. supra cit. Joh. Langio lib. 1.
epist. 21. Σ Magno Hippocrate libr. $\omega\beta\gamma\pi\alpha\varphi\tau\eta\varphi\sigma\pi$, in actu curatio-
nis magni æstimamus. Verba Hippocratis sunt; $\kappa\epsilon\lambda\epsilon\upsilon\omega\delta\epsilon\tilde{\epsilon}\gamma\omega$
 $\gamma\epsilon\tau\alpha\varsigma\pi\alpha\varphi\tau\eta\varsigma\tilde{\epsilon}\kappa\omega\tau\eta\tau\epsilon\tilde{\epsilon}\pi\alpha\varphi\omega\sigma\pi$, $\omega\varsigma\tau\alpha\chi\varsigma\tilde{\epsilon}\zeta\upsilon\omega\iota\eta\sigma\pi\alpha$
 $\alpha\gamma\delta\varphi\pi\sigma\pi$. H̄ γδ κυήσωσιν, ύγιεες γίνονται; Equidem virginibus su-
deo,

deo quibus tale quid accedit, ut citissimè cum viris conjugantur: si enim conceperint, sanæ evadunt: quô etiam saluberrimô Hippocratis consiliô quoad curationem virgines male coloratas hîc remittimus.

CAPUT XIII.

De diata.

Hdiatam nq̄ πεώτην, nq̄ κυριωτάτην ἔχει τὴν Ἱεραπέται ὅπῃ πάντων τῶν παρόντων. *Victus ratio & primas & supremas curationis partes in omnibus affectionibus obtinet, Trallianus libr. 9. cap. 3.* & quemadmodum Diætæ errores plerumque hujus mali fons & origo sunt; ita quoque bona victus ratio sæpè sola omne curationis punctum absolvit, adeò, ut nisi præscriptas diætæ regulas ægræ examussim sedentur, atque ab omni excessu sibi caueant, omnia medicamenta ipsis incassūm adhiberi certò certius sit. AER, qui VITALEM diætam respicit, eligatur calidus & siccus, non palustris & humidus, quare etiam ad expugnandum hunc hostem, ubi inducias cum morbō pacisci ægrotantium fert constitutio, vernō aut æstivō tempore curationem felicius instituimus. ANIMI AFFECTUS mediocritatis non transilient terminos; amor excedens est compescendus, erigendæ contrà, quas de futuris nuptiis omnis deseruit spes, & earum mœrores jucundâ conversatione pellantur.

In NATURALI diætâ fugiat ægra CIBOS crastos & vitiosi succi, ac imprimis ab oleribus, fructibus horariis & lacticiniis sedulò abstineat; utatur pane plurimum fermentatō, semina fœniculi aut carvi continente: carnes assatæ, cinam. caryophyll. salviâ, roremarinō conditæ, præ elixis probantur, à jurulentis humidis, quantum potest, abstinendum, vel si maximè illa appetantur, loco Θ. commun. sale afsynth. meliss. aliisque specificis sunt præparanda. POTUS sit paucissimus, & imprimis naturâ frigidior ceu pestis abhorreatur: vinum chaly. beatum simplex à Sennertō libr. IV. part. II. sect. 3. propositum, magnam meretur laudem: cerevisiæ medicatæ herb. afsynth. agrim. ling. cervin. cuscut. centaur. min. meliss. &c. suô non de-

stituuntur præconiō: serum lactis caprin. Qutum & chalybe im-
prægnatum superiū commendavimus. Aceti usum, cum sit
υστεραλγεῖς & viscerum calorem debilitet, omnem interdicimus.

ANIMALIS vivendi ratio somnum & vigilias temperat, &
ut sedentaria vita moderatō corporis motu & exercitatione
emendetur, præcipit. *Alvus* commendatur lubrica ac aperta.
Venus moderata, nisi summa adsit virium jactura, & extremus
cacockymix gradus corpus possideat, quā ratione virginibus
sit commendandā, in antecedentibus fuit annotatum: cui licet
τῇ Φύσι λειτχεγεῖν, liceat.

Atque hæc sunt, quæ pro ratione instituti & ingenii tenui-
tate de gravissimō hōc virginum morbō proponere animum
induximus: & quoniam docente Galeno comment. 3. prognost.
Hippocr. t. 41. nunquam hallucinari supra captum hominis sit,
non dubitamus, quin etiam nobis, si quæ vel omissa, vel im-
providè commissa fuerint, apud æquos censores
venia sit relicta.

ΘΕΩ ΠΑΝΤΟΚΡΑΤΟΡΙ
ΔΟΞΑ ΚΑΙ ΑΙΝΟΣ.

CLARISSIMO
DN. JOHAN. NICOLAO EWALDO,
Med. Doctorando Merentissimo,
Pro Licentiâ supremos in Medicinâ
capestendi honores
publicè disputanti
FELICITER!

E WALDO Phœbus dum confert jura medendi,
Horrescunt morbi, mors trepidatque pavens!

boni omnis causâ singularique
affectui testando

L. M. Q. adjiciebam

Johan. Ernestus Gerhardus,
SS. Th. D. & Prof. Publ.

CLARIS-

CLARISSIMO
DOMINO

JOHANN. NICOLAO
EWALDO,

pro

LICENTIA

publicam adscendenti cathedram,

FELICITER

adclamat

Guernerus Rolfincius,

Phil. Med. D.P.P. Senior,

PRÆSES.

EWALDE, Aoniæ decus pælæstræ!
quod magnas humeris subis laborum
moles: quodquè molestiis relictis
dignos quæris ab arduis honores
cœptis, sive nigras dies tenebras,
seu clarum tenebræ diem reducunt:
Illud SALA suis videns ab undis
perlætô tibi gratulatur ore,
& FELICITER occinit solemnis;
quam scandis resonô cathedra, plausu.

Mox virtus, veluti mereris, hisce
factis fama dabit pares honores.

VIRTUTI VIA NULLA NON APERTA EST!

F 2

EVVAL.

EVVALDO bona quæquè precor. *Quis quæso
peritus
damnabit Medicæ quod terit Artis opus?*
Clarissimi Doctorandi honoribus
meritissimis acclamat
Joh. Theodorus Schenck.
Med. D. P. P.

Virgineos, Evvalde, paras dum tollere morbos,
sana tibi & dives præmia virgo dabit!

*Clarissimo Dn. Doctorando, Fautori & Commensali suo
bonoratissimo f. gratul. E.*

Christophorus Schrumpff/
Curiæ Sax. Jenæ Protonotar.

Foedos Virginei vultus, EWALDE! colores
Enumeras, monstrans, quid medeatur eis.
Præclarum acquiris Medica sic Nomen in Arte,
Quæ studiumque petit, præmia justa capis.

*Clariss. atq. Experientiss. Dn. Doctorando, Amico
at Populari suo conjunctiss. gratul. E.F.*

M. Johannes Casp. Franck/
Sueinâ Goth.

Præmia cum nunquam Dignis condigna negârunt
Musæ, jure Tibi poscere Digna licet.

So darf ein muntrer Geist nicht unbelohnet sterben!
Der Lorbeer/ nebst dem werthen Purpur-Huth
Wird einem Schweif- und Fleiß-vergeikten Muth
Von flugen Schwestern-Neün bald zugeschicket:
Ich sehe schon mein Freund/dich so beglücket/
Weil Pallas deinen Schweif zu lohnen dencket.
Wolan! Glück zu! Du darfst nur kühnlich darüber
werben.

Tobias Schmidt/ von Gotha.
F I N I S.